

2.

3.

4.

5.

6.

1724.

1. Vethardingius, Georgius: Specimen manuductivum
ad vitam longam, quod tradit regulas generales
circa superfluum excretionem hominibus
observandas. Frankfurt.
2. Vethardingius, Georgius: Specimen manuductivum
ad vitam longam, quod tradit regulas generales
circa medicum et medicamentum hominibus
observandas.
3. Vethardingius, Georgius: De observatione caeteraque
spuria
4. Wagheim, Joh. Benjam.: De definitione Dei Wolffia-
na
5. Mantzel, Im. Leh. Frid.: De aquila sacri Imperii
Romano-Germanici bicapite
6. Mantzel, Im. Leh. Frid.: Quod polygamia sit jure
naturae contraria.

1724.

7. Librand, Tractatus Hinc: De juris consultis circa
decisionem casuum, in materia successione ab
intestato, variabilis.
8. Librand, Tractatus Hinc: Juriam singularium ~~deca~~ deca
per Deca.
9. Westphal, Im. Jus: V. distincta practica ratione
in jure privato Romano-Germans.

1725

1. Librand, Tractatus Hinc: Programma, quo ad solennia
Doctoralia Georgii Wilhelmi Velthardings' invitat.
- 2^a Librand, Tract. Hinc: De necessaria vulnerum
inspectione in crimine homicidii commisso. 2 Buntl
1725-1726.

1726

1. Becker, Johannes Hermannus: Statua dirigenz quietas
corporis humani in stando et sedendo
2. Buschardus, Christophorus Marbicus, fac. med. decanus: De experientia
rationali. Programma, quo ad solennia Doctoralia Petri
Christ. Burmanni invitat.

1726

3. Buschardus, Christophorus Martinus fac. med. decanus
Vescor bato septentrionalium. Pruzemus, quos ad solen-
niam Doctoralia Juri Valentini Muellersi iuritate
 4. Buschardus, Chr. Steph. Mart.: De demonstrandi ratione
in arte medica
 5. Buschardus, Christ. Martinus: De medendi ratione
per praesidia dietetica
 6. van Haen, Janus: De harmonia inter animam
et corpus.
 7. Mantzel, Im. Joh. Frid.: De universitate privatorum
 8. Petersenius, Joh. Christianus: De poestate usuraria.
 9. Westphalius, Ernestus Trachianus: Specimen positionum
Juris Romani dissimantis a jure Germanico con-
muni et Mecklenburgico
- 1727.
1. Petersen, Joh. Christianus: De omissione nociva.

1729.

- 2^a = Westphalicus, Præter Trachium: De fontibus
juris Lubicensis ejusque explicandi principii
geniis 2 Sampl.
3. Westphalicus, Præter Trachium: Specimen anuntio Toru-
sionem in proxi Italia



19
DISPUTATIO PHILOSOPHICA, *Vol. 2 N. 5*
DE
DEFINITIONE DEI
WOLFFIANA, *17244*

quæ talis est

948
SIE ist das Wesen, welches alle
Welten auf einmahl in der allergrösten
Deutlichkeit vorstellet.

Conf. Metaph. §. 1069.

Quam

Consentiente Ampliff. Facult. Philos.

PRÆSIDE

M. JOH. BENJAM.
DRAGHEIM,

DANTISCANO,

In Illustri Academia Varno-Baltica


publico examini exponit

RESPONDENS

JOH. HINR. TWIETMEYER,

Rostochiensis,

Ad Diem IX. August. An. MDCCXXIV.



ROSTOCHII,

Typis IO. IAC. ADLERI, SEREN. PRINC. & ACAD.

Typograph.



V I R O
MAGNIFICO, SUMME REVERENDO
EXCELLENTISSIMO ac AM-
PLISSIMO,

DOMINO
JO. JOACHIM
WEIDENERO,

S. S. Theol. D. ejusdemque Professori
Publ. Ord. Celeberrimo, Facultatis suæ
Seniori Gravissimo, ad Ædem Div.
Mariæ Pastori fidelissimo,

Patrono, Evergetæ, Studiorum suorum
Amplificatori, nec non Avunculo,

Plus quam filiali cultu prosequendo,

Præsens hoc Specimen

in
Oberati animi qualescunque signum

Observantissime offert

JOH. HINR. TWIETMEYER,
Philos. & S. S. Theol. Stud.

PROOEMIUM.



Nceps & lubricus locus est, quoties illi necessitas non lenocinatur, nova in Philosophicis vel fabricare dogmata, vel Veterum errores è tumulis & ruderibus ad lucem vitamque revocare. Plerique enim non ideo ingenii factus verbis & coloribus adornare, quia scripserint, sed ut adorna-
randa res est, unam esse Veritatem, quemque tamen aliud credere, seque solum ea beari non addubitare. Multis aliorum auctoritas pro ratione sufficit, quos omnium miserrimos judico. Quid? quod pleraque, quæ sunt agendæ rei necessaria, eadem peracta, nec utilitatem parem, nec gratiam retineant. Ac ne longius exempla repetamus, in quorum hodie non sunt manibus Celeberrimi Domini WOLFFII Libri, quos emisit, Philosophici? Effingere se clarissimus VIR, & excudere, quod perpetuo suum esset, arbitratus est, hocque fuit negotium ejus, hoc orium, hic labor, hæc quies: in his vigilia, in his somnus reponebatur. Etenim ea minus detorqueri & carpi, quæ in obscuritate & silentio latitant, suo nos exemplo edocuit. Gratiam novitatis scripta ejus non paucos apud exuere, quod cum obsoleta & intermortua pene in medium sub alio sed personato habitu eum asferre, tum malas inde consequentias Atheismum spirantes inde stuerè alii judicent. Ego nunc, ne modestiæ orbita, cujus quemque studiosum esse deceat, excidam, vastæ Eruditionis VIRUM meo non onerabo judicio, sed quid unice in præsentî Definitione desiderem, penitus expendam. Spes non decollat, fore ut citra Censuras aliorum, si modestum me gesserò, (sed veram sane) ipsiusque Autoris sinistram interpretationem, solo veritatis amore, nullo scribendi pruritu inductus, quod meum est acturus sim. Faxit DEUS feliciter.

MU
CAPUT. I.
DE
DEFINITIONE LOGICA.

§. I.



Ix ac ne vix quidem opus esse videtur, ut Definitionem DEI Wolffianam rectori via reputaturi, multa ad genuina Definitionis indolem necessario facientia, ex Logicis presenti colo aptemus, in uno quoque Philosophorum rem definituro præsupposita, ut ut sapius neglecta. Id tamen, quo nemo superfedere queat, dictum esto. Præcipuæ bonæ Definitionis Leges audiunt: Definitum non debet ingredi Definitionem, neque ut Concretum, neque ut Abstractum; non enim possum dicere: homo est animal rationale & homo. Conf. Bechmanni Instit. Logica L. IV. Cap. VII. de Definit. p. 564. Definitiones debent constare ex attributis prioribus & notioribus simpliciter; Definitio enim cognoscendi causa traditur: at non ex quibusvis cognoscimus, sed ex prioribus & notioribus. Cum autem Definitio constare possit vel ex iis quæ nobis notiora sunt, vel ex notioribus simpliciter, conandum est, ut ex prioribus & notioribus simpliciter posteriora declarentur potius, quam contra. Hic enim definiendi modus ad scientiam maxime est accommodatus. Conf. Bechmannus l. c. p. 551. Johannis Spindleri Tract. Log. p. 106. Franc. Burgersdicii Instit. Log. L. II. Cap. II. p. 156. it. Joh. Jac. Syrbiu Instit. Phil. Rat. Eclect. p. 101.

§. 2. Definitio porro sit convertibilis cum suo Definito. Fiet autem, si Definitio adæquata fuerit, h. e. nec angustior nec latior. Quicquid enim in Definito continetur debet contineri in Definitione, & contra. Quare cum Jcti Jus Naturale definiunt, quod Natura omnia animantia docuit, Definitio nimis laxa est. Contra cum Logica definitur Ars differendi, Definitio nimis angusta est. Conf. Rod. de Arriaga Cursus Philos. Disp. 3. in Summulas, Sect. I. p. 14. In Definitione ponatur genus proximum. Per genus proximum intelligimus, inter quod & Definitum nullum aliud intercedit. Si enim remotum modo genus ponitur, eique differentia propria & specifica tantum adjungitur, levi brachio transilimus aliquid, quod ad essentiam Definiti spectat, naturam scilicet intermediu generis. Dupl-

citer

eiter vero contingit in Definitione poni genus remotum: 1) ut ei jungatur tamen differentia propria & specifica, 2) ut generi remoto non sola differentia propria & specifica, sed etiam omnes intermediae differentiae apponantur. Definitiones posterioris generis aequae perfectae sunt, atque illae, in quibus generi proximo differentia specifica jungitur: prioris vero generis ex parte vitiosae censentur, ex parte vero tolerari possunt, ut inter Philosophos constat.

§. 5. Et hoc adamante notemus, Definitiones esse debere affirmatas. Definitiones enim negatae non tam explicant quid res sit, quam quid non sit. Definitionis autem est explicare essentiam rei, seu quid res sit. Quod ad Descriptionem attinet, illa potest esse negativa, imo saepe est necessaria. In Definitione essentiali distinctione opus est. Definitum enim illius vel ens positivum est h. e. quod in sua natura & essentia negationem non includit; vel tale ens, quod in sua natura negationem importat. Si definitum sit ens positivum, definitio non debet assignari per negationem, nisi forte vox quaedam negativa sit, per eam enim positivum quid intelligi potest. Si vero tale ens sit, quod in sua natura negationem importat, ejus definitio, eo quidem modo quo definitum capax est, per negationem assignari potest & debet. Conf. Aristoteles L. 6. Top. C. 6. §. 7. inqviens: Fortasse autem in nonnullis necesse est negatione uti eum qui definit, ut in privationibus: nam caecum est, quod non habet visum, quando secundum naturam habere debet. it. Burgersdicius l. c.

§. IV. Superest alia insuper Regula, data opera, ut ut levis forte videatur observanda: Definitiones debent esse perspicuae. Perspicuitas Definitionum tanta esse debet, ut statim appareat, quid sit illud, quod definitur, imo, ut ex ea contrariae rei definitio possit colligi. Quamobrem Definitum, si sit aequivocum seu multis modis dicitur, distinguendum est, ut constet, in qua significatione definitur, quod si neglexerimus, extra dubitationis aleam positum non erit, casusnam definitio tradita fuerit. vid. Aristoteles L. VI. Top. Cap. II. §. 2. Absint etiam in Definitione Metaphorae a communi usu recedentes e. gr. Juventus est flos aetatis; senectus est hyems annorum. Ejusmodi enim definitiones Metaphoricae rem quodammodo declarant, sed essentiam ejus non representant. Conf. Rothii Logica Practica L. VI. Cap. XI. de Definit. p. 488. Fr. Eustachius A. S. Paulo in Summa Philos. Quadripart. p. 91. & 92. Haec de Definitione in se spectata sufficiant.

CAP. II.

CAP. II.

DE

DEFINITIONE DEI LOGICA.

§. I. **E** Gregias sane Veteris Ecclesie Patres, ad asserendam essentia Divinae Indefinitabilitatem nobis reliquerunt sententias. Quem præterit elegantissimum Hilarii assertum, quod B. Meisnerus in Philosoph. Sobria P. I. p. 1162. ex scriptis ejus refert. certe hoc est DEUS, qui, & cum dicitur, non potest dici; cum æstimatur, non potest æstimari; cum definitur ipse sua Definitione crescit. Et id genus multa alia silentio transmittimus. Equidem non sine insigni Veritatis pugna à Scoto, ipsique suffragantibus hæc inverfa legimus; quæ tamen ab Antagonistarum iteratis Objectionibus Theologi æque ac Philosophi eruditissimi vindicata, achilleis Argumentis corroborarunt, Conf. Albert. Graveri Præl. Academ. in A. C. P. I. Art. I. p. 80. seq. Meisneri Phil. Sobr. P. I. l. c. Pofewiz. Theol. Scholast. p. 60. Ebart. Enchrid. Theol. L. II. p. 60.

§. II. Nobis negativam tenentibus, placet cum Thesin nostram stabilire, tum aliqua Contradictentium argumenta diligentius reputare. Omne Definitum perfectæ Definitionis (de hac enim sermo est) per se ac directe in rerum ordine prædicamentali sit h. e. id, quod perfecte definiri debet, necessario sit in prædicamento. Quis vero de DEO ita sumpserit, qui gloriosus omnia rerum prædicamentali-um excedit & supereminet genera? Respuit DEUS prædicamentorum conditiones, fugit Ipsum omnis prædicamentalis compositio. Est simplicissimus, & in Ipso nihil reperias quod non Ipse sit. Nemo tamen putet, DEUM in prædicamento non esse à nobis negari, quia prædicamentum stabulum est aut carcer, cui sine grandi injuria DEUM includere haud licet. Infirma est ratio, quam nostram non facimus. Genuina hæc audit, quia scilicet in ordine ad sua superiora & inferiora nec Genus, nec species, nec Differentia, nec proprium, nec accidens est.

§. III. DEUS non est genus, omne enim Genus est pars essentialis speciei; sed cujus speciei pars essentialis DEUS erit? Omne Genus plures sub se habet species; dari vero plures Deorum species est impossibile. Quicquid est Genus, id contrahendum est per Differentiam, atque sic accipit aliquam perfectionem à Differentia, quam Ipsum non habet; Infinito vero repugnat accipere perfectionem. Omne Genus est informe & potentiale; Ast primo Enti repugnat esse potentiam,

tentiam, quia est Actus purissimus. Neque habet DEUS Genus; adeo enim singularis essentia DEUS est, ut nihil in Creaturis superfit, quod eam vel analogice participet.

§. IV. DEUS neque est species; omnis enim species aliquid univernale est, DEUS vero est Ens singulare imo singularissimum. Omnis species infert relationem ad plura individua, ad minimum possibilis; hoc vero de DEO dici nequit, qui nec actu habet, nec habere potest plura individua. Si enim actu essent, tum haud dubie forent illa Divina persona, sed hoc esse nequit: omne quippe individuum distinctam ab alio habet essentiam. Hoc de Personis Divinis dici nequit. Individuum Logicum non nisi de uno predicari potest, at DEUS per Synonymiam eminentem de personis Divinis predicatur. Nec dari possunt in DEO plura individua, quia DEOS esse plures repugnat, DEUS neque est Differentia. Differentia est pars essentialis rei alterius, scilicet speciei: at vero DEUS nulla rei alterius pars essentialis est. Et quid multis? DEUS infinitis gaudet Perfectionibus, ideo non potest hujusmodi construi Definitio, quae includat omnia praedicata Ejus essentialia ad ultimam usque differentiam. Respicimus tandem paucis mota ab aliis dubia.

§. V. Objici solet: DEUM etsi non directe, indirecte tamen in praedicamento esse. Quem modum alii simpliciter indirectum, alii reductivum dicunt. Resp. DEUS nec est indirecte in praedicamento, nullas quippe praedictas notiones secundas admittit, sub quibus aliquid in praedicamento est; nec reductive, quia reductio illa involvit imperfectionem. Instant: si quid obstaret, quo minus DEUS sit in praedicamento, esset Ejus infinitas & simplicitas. Quod negant, quia Angelus, etsi sit simplex, potest directe pertinere ad praedicamentum substantiae, & linea, etsi sit infinita, ad praedicamentum quantitatis. Resp. omnino obtare simplicitatem & infinitatem Dei. Quod ad Angelos attinet, non sunt simplices adeo ut removeri ab ipsis debeat compositio ex genere & Differentia, sunt enim in praedicamento. A DEO vero, quia est simplicissimus, recte removetur. Instantia satisfit respondendo: Fns dici infinitum vel in essentia & perfectione, vel in quantitate, mole & duratione. Infinita quantitas rem è praedicamento non aufert.

§. VI. E Nostratibus quoque invenias haud paucos, quibus sententia, DEUM in praedicamento esse & definiti posse arridet. Eberhardus Rudolphus Rothius in Log. Practica L.I. Cap. V. p. 75. DEUM ad praedicamenta referri posse largitur, quia nempe quaedam de DEO

pra-

prædicantur e. gr. substantia, Spiritus &c. &c., & inde idem autumat, quod prædicamenta non sunt claustra, quibus rerum essentia coercentur, sed *χρησισα* tantum *καθηγοριων*, figura prædicationum. Facilis tamen ad hæc est responsio. Vocabulum enim Spiritus dicitur de DEO & Creaturis, non tamen generice. Genus enim est, quod de pluribus specie differentibus univoce prædicari potest, ad Quæstionem: quid sit? substantia vero DEUS non Logica, sed supersubstantialis substantia est. Ad ultimam rationem responsum est in hujus Capitis §. 2.

§. VII. Profitetur etiam inter eos nomen suum Joh. Christoph. *Sundesbagen* in Quæst. Logicis partim p. 178. partim in Theol. Naturali, C. I. p. 22. In Logicis distinguit inter Philosophorum intentionem & rem ipsam. Juxta intentionem Philosophorum putat DEUM quidem in prædicamento non esse; si vero respectus habeatur ad rem, i. e. an DEO ejusque simplicitati repugnet in prædicamentis collocari, DEUM categoriis inesse affirmat, quid? quod frivolum hanc rationem judicet. Enim vero durior hæc nobis dictio videtur dum sic cordati sentiunt Theologi, & ne actum agam, satisfecit ipsi B. Meisnerus in Phil. Sobria, Sect. IV. Quæst. Metaphysicarum, Qv. III. p. 155. Ut taceam substantiam prædicamentalem habere ad accidens relationem quandam transcendentalem. Conf. Scheibleri Logica. Occurrit sibi ipsi: Ergo datur aliquid DEO superius. Respondet: aliud est, dignitate & potentia superius esse, aliud prædicatione. Sed & huic modo quærendus est cunens. Distinguo inter prædicationem prædicamentalem & Transcendentalem. Substantia de DEO prædicatur non prædicamentaliter quia substantia Logica non est, sed transcendentaliter tantum. In Theologia naturali ad objectionem: si DEUS definitur, erit compositus, ex Genere nempe & differentia, Reponit: Compositionem hanc esse rationis tantum, & dicere dominationem extrinsecam ad objectum, nullam in eo inferentem compositionem. Neque tamen hæc responsio firmo stat talo. Definitio enim quia explicat essentiam rei, fundata sit in re explicanda, & si modo extrinseca est denominatio nulla erit definitio, quæ fundamentum habere debet, non extrinsece sed intrinsece tale.

§. IIX. Nemo etiam me ipsum contradictionis accuset, quod in Disputatione Metaphysicam ab Atheismo & Polytheismo vindicante, Ens vocaverim conceptum Synonymicum seu univocum ad DEUM & creaturas. Non statim omnis conceptus qui communis dicitur est Genericus. Lychettus in Scotum triplices facit conceptus quid.

quidditativos: alii sunt per modum generis, alii per modum speciei, alii nec sunt per modum generis, nec per modum speciei, sed tantum dicuntur. Tandem opus erit, ut qualem-
cunque de DEO exhibeamus descriptionem. Eam do, quam Magnif. Dn. D. Apinus habet in Theol. Natural. p. 71. DEUS est substantia spiritualis, æterna bona, perfecta, omnipotens, beata, infinita, immensa, invisibilis, a qua sunt omnia quæ sunt, quæ etiam virtute ejus conservantur & gubernantur. Jam accedimus ad

CAPUT. III.

DE DEFINITIONE DEI WOLFFIANA:

§. I.

Clariff. Dn. Wolffii Definitionem de DEO datam, & in titulo exhibitam inquirere, laboris nostri meta est. Fecerunt quidem id ante me, brevissimis tamen Dn. D. Buddeus in dem *Bedencken über die Wolffianische Philosophie* p. 5. & seqq. D. Joach. Lange in *der bescheidenen und ausführlichen Entdeckung* p. 250. & seqq. & alibi passim. Enim vero quod Dn. Buddeus paucis egit, ulterius prosequemur. Dn. Langii rationes quas angustum papyri æquor cum penitus reputare, tum longiori tractu prosequi non permittit, æquo Lectori relinquemus ex alio fundamento infirmitatem definitionis judicaturi, nō quod non possit esse conceptus DEI Primus, qui juxta Cl. Autorem esse debet.

§. II. Fundamentum cur ipsa DEI definitio falsa nobis esse videtur, hoc est, quod Clariff. Dn. Wolffius Definitionem de Spiritu in genere non bonam dederit. Hujus tenoris illa legitur in Ratione Prælectionum p. 150. Spiritus in genere est substantia hujus Universi Representativa. Varia leguntur de Spiritu ut sic apud Philosophos definitiones, non omnes tamen æque genuina. Nos statim animadvertimus spiritus vocabulum maxime esse homonymum, homonyma vero vix accurate nisi prius distincta describi. Alias obtinet Spiritus significatio-
nes in Theologia, alias in Philosophia. In Theologia vox spiritus accipitur vel hypostaticè, vel absolute & essentialiter, vel
B
effective

effective, vel aliter, de creaturis. In Philosophia capitur vel Physice, vel Metaphysice & Logice pro substantia immateriali, materiali substantiæ contradistincta, quæ acceptio ad nos facit. Conf. Joh. Scharfi Pnev. p. 20.

§. III. Deinde notamus spiritum in genere stricte definiti non posse, quippe Spiritus ut sic, qui & a finito & infinito præscindit, in nullo est prædicamento. Sed multorum quoque descriptiones suis laborant nævis. Timplerus lib. 4. Met. C. 4. th. 2. non recte describit spiritum, quod sit substantia creata molis corporeæ expers. Spiritus abstrahit a creato & increato, jam vero superius per inferius describi nequit, DEUS enim non est substantia creata, spiritus tamen est. Neque hæc est optima, quod sit entitas habens negationem extensionis. Non enim descriptio illa continet genuinum conceptum contrahibilem, utpote qui proximus & immediate latior esse debet, hic vero inter entitatem seu ens interiacet conceptus substantiæ.

§. IV. Optime vero omnium describitur spiritus quod sit substantia immaterialis habens intellectum & voluntatem. Esse spiritum substantiam, ut fufius probemus, supervacaneum esset, dum spiritus accidens dici plane non potest. Hoc potius attendimus substantiam conceptum spiritus esse contrahibilem genuinum proximum. Communis est, quippe illum cum corpore communem habet; proximus, quia inter spiritum & substantiam nullus intercedit alius conceptus essentialis. Contrahens est conceptus, quod sit immaterialis substantia. Spiritum vero esse immateriale quid demonstratur a posteriori ex variis attributis per experientiam cognitis, & cum immaterialitate reciprocabilibus. Esse vero *id* immateriale optimum conceptum contrahentem variis modis probatur. Nunc sufficiat hæc ratio, quæ non ultima sane est, quia immaterialitas soli spiritui competit, eundemque a cæteris rebus sat abunde distinguit. Sed notes tamen, *id* immateriale non idem valere, ac non esse ex materia productum, quia hoc sensu alia etiam corpora dici immaterialia possunt. Nec *id* immateriale idem est prorsus ac intellectuale, immaterialitas enim est causa & ratio intellectualitatis. Notat vero immateriale id quod nullam materialem conditionem aut respectum includit.

§. V. Sed

§. V. Sed redeamus in viam & consideremus altius
 Definitionem Spiritus Wolffianam. Ecquid nobis de illa men-
 tis sit, exponemus brevissimis. Quod Clariss. Dn. Wolffius
 spiritum substantiam arbitretur, recte, quod vero representa-
 tivam putet vix accurate docet. Ut quæso representatio hæc erit
 cæterorum attributorum fons & origo? Sæpe nobis illa inde
 deducentibus hærebit aqua. Faciamus periculum: In spi-
 ritu datur Indivisibilitas, quæ est affectio spiritus ut sic,
 quat. ob simplicitatem in partes dispeſci nequit. Jam quæ-
 ro: Unde hæc indivisibilitas fluit? Juxta Wolffianam defi-
 nitionem respondi debet: quia est substantia Representati-
 va. Sed quid si respondeam fluere ex immaterialitate? Quic-
 quid enim est immateriale est indivisibile. Datur ergo re-
 præsentatione conceptus prior, n.p. ipsa immaterialitas. Est
 in spiritu Insensibilitas, juxta quam ob simplicitatem obje-
 ctum sensuum fieri nequit. Unde ratione nostra concipien-
 di hæc fluit, an ex representatione, an immaterialitate?
 Quisqve judicet. Datur in Spiritu immortalitas, qua ei ab in-
 tra repugnat cessatio vitæ, quæ immortalitas spiritui non tan-
 tum ex gratia, sed etiam ex natura competit. Unde illa? an
 quia ut substantia representativa Spiritus, an quod immate-
 rialis substantia concipitur? Quicquid est immateriale est im-
 mortale. Quid? quod nequidem ipse intellectus Spiritus, a
 quo tamen unice clarissimus Dn. Wolffius Spiritum definit, sat
 clare inde concipiatur. Quid enim est intellectus Spiritus?
 Est affectio spiritus ut sic, quat. ob vitalitatem, intelligibile,
 sine sensuum ministerio apprehendere potest. Jam quod spi-
 ritus intelligibile sine sensuum ministerio apprehendat co-
 gnosco ex immaterialitate, non vero ex eo quia est substantia
 representativa, quippe representatio a Clar. Autore & Ratio-
 nali creaturæ, homini, & intellectuali, spiritui, attribuitur.

§. VI. Taceo incorruptibilitatem, penetrabilitatem,
 taceo multa alia, non tantum attributa, sed & consequentia
 quas afferre vetant brevitatis laboris partim, partim laboris
 scopus, qui est Autori ostendere. Vim representativam non
 posse esse primum conceptum. Quisque insuper sequentia,
 proprio Marte inquirat. Hoc insuper dixerò, formare sibi ide-
 as minimum esse intellectus spiritualis, sed plus inferre spi-
 ritum

ritum posse hujusmodi ideas inter se comparare, dividere, objecta in sua natura cognoscere, & id genus alia. Potest Spiritus sibi formare de DEO ideas, idque nobilius quid est, quam materialia considerare. Miser esset anima nostra Spiritus si de mundo unice cogitaret. Sape anima Cl. Dn. Wolfii cogitavit de DEO, sibi que de eo hanc formavit ideam quod sit substantia repræsentativa, non ergo tantum anima ejus est substantia universi repræsentativa, ut ipse eam definit. DEUS & universum hoc essentialiter differunt, & diversissima considerationis nostræ objecta, sunt. Sed accedimus ad Definitionem de DEO ipsam.

§. VII. Talis illa legitur: Metaph. §. 1069. **GOTT** ist das Wesen / welches alle Welten auf einmahl in der allergrösten Deutlichkeit vorstellet. Ante omnia intelligendum est, quid Clar. Autor, hac definitione sibi velit. Id discimus ex monito ad Comment. Luculent. §. XVII. p. 33., ubi inquit: Hanc vim repræsentativam esse primum conceptum Numinis ex creationis operibus agnoscendi, unde cætera ejus attributa derivantur. Accedit quod in Metaph. §. 1069. dicat: Ich weiß wohl daß einige seyn werden / denen dieses von **GOTT** zu wenig gesagt zu seyn scheint; Allein wenn sie das vorhergehende mit Bedacht durchgehen wollen / und es zu begreifen fähig sind / werden sie zur Gnüge daraus ersehen / daß nicht nur allein alles was von **GOTT** gerühmet wird / sondern noch vielmehres NB. bloß aus dieser vorstellenden Krafft der Welten in größerer Klarheit und Deutlichkeit heraus gebracht wird / NB. als vielleicht zur Zeit noch nie geschehen. Hæc verba probe observamus, multum deinde nobis lucis affudentia. Videmus enim quantum Cl. Autor hanc suam faciat definitionem, utut alias deinde de spiritu ut sic, & DEO faciat Definitiones suo loco considerandas.

§. IIX. Equidem qui hæc vis repræsentativa potest esse Conceptus DEI primus? Antequam pariter aliquid tentemus, præsupponimus conceptum DEI primum dupli modo posse dici vel late vel stricte. Omnia terminorum satis notorum explicatione afferimus Conceptum DEI primum stricte nulum dari, sed modo late talem. Neque etiam intelligi debet Conceptus primus ratione causalitatis, cum hæc acceptio & æterni-

aternitatem & independentiam divinam aperte destruat, sed assumimus eum ratione modi inferendi, qui ita immediate DEO tribuitur, ut nulla plane ratio a priori dari possit, cur illi ipsi, conveniat. Conf. Joh. Henr. Posewitz Theol. Schol. Past. Com. Q. IIX. p. 63. seqq. Neque hic Conceptus erit objectivus a parte rei ipsius, sed formalis tantum, & quoad nostrum concipiendi modum, siquidem non de formalitate a parte rei h. l. ventilatur quaestio, sed de eo, quod ex parte nostri intellectus formali rationi in DEO respondet. A Scholasticis insuper varie salutatur. Independentiam vero intelligimus non Respectivam, sed absolutam seu simpliciter talem. Vox DEI nobis non sumitur personaliter, sed essentialiter.

§. IX. Quo vero clarius pateat hujus conceptus primi Formale, liceat nobis sequentibus illud ipsum includere requisitis. Scilicet ad hunc Conceptum desideratur 1) ut essentiam divinam in esse suo proprio constituat per se, primo, & secundum propriam rationem formalem 2) ut ex alio quoad nostrum concipiendi modum priori non possit derivari 3) ut DEUM ab omnibus aliis rebus adequate distinguat, 4) ut sit radix ceterorum attributorum divinatorum. Est ergo conceptus primus in DEO à parte nostri modi cognoscendi conceptus essentiam divinam in esse suo proprio, primo, per se ac immediate constituens secundum propriam rationem formalem, illamque ab omnibus rebus creatis distinguens, ita, ut ex alio superiori, quod nostrum concipiendi modum derivari non possit, reliqua vero attributa omnia ex hoc originem trahant.

§. X. His praemissis aliqua attributa DEI exempli loco deducamus, quo ejus infirmitas nobis magis magisque constet. Datur in DEO necessitas, qua is ita existit, ut nullo modo poterit non esse. Jam quæro: Unde demonstratur hæc DEI necessitas? Juxta Definitionem DEI Wolffianam fuit responsio: quia est substantia omnia universa possibiliter adequate sibi representans. Candide nemo non de conceptu DEI Wolffiano judicet. Melius demonstratur necessitas DEI tum per independentiam tum actualitatem. Deinde posito quod vis representativa debeat esse conceptus DEI primus, quæro:

quæro: Unde demonstratur independentia? Respondere necesse habet Cl. Autor ex vi representativa. Sed quis ex eo non videt, Definitionem datam sub ratione conceptus primi stare non posse? Datur DEI æternitas, quæ ob negatos terminos durationis invariabiliter per manens est. Unde demonstratur hæc DEI æternitas? Resp. quia DEUS est substantia &c. Bone DEUS? Qui hæc stare possunt? Variant alias Philosophi in assignando conceptu DEI primo quam maxime. Sed profecto nescio, an alter minus ac iste locum habere possit? A pluribus exemplis abstineo.

§. XI. Et sane haud pauca supersunt alia, circa præsentem Definitionem in examen vocanda, quæ tamen recensere nolo, ne à scopo meo aberrem. Dicam tamen aliquid. Jure meritoque Definitio hæc ingentis accusatur obscuritatis. Deinde petita est unice ab intellectu DEI quem tamen diminuit. Intellectus DEI est, quo is quodvis cognoscibile modo perfectissimo intelligit. Juxta Definitionem Cl. Dn. Wolfii DEUS non quodvis cognoscibile, sed univèrsa, hoc est mundos possibiles tantum intelligit. Dantur plura possibilia, quam mundi. Datur etiam intellectus DEI reflexus, quo se ipsum apprehendit, cujus respectu Definitio præsens valde displicet. Ergone tantum semper sibi ex objecto materiali gloriosissimus iste Spiritus ideas colligit. Metaph. §. 955. inquit: *Es ist der Verstand Gottes eine deutliche Vorstellung alles dessen was möglich ist zugleich auf einmahl.* Sed & hæc mala est Descriptio. Intellectus DEI non est ipsissima representatio, sed est id per quod DEUS omnia intuitive intelligit, cognoscit sibi que representat. Quis intellectum navita describet per representationem antennarum? sed mediante intellectu navita antennas, funes, sibi representat & cognoscit. Et quid multis? In Ratione prælectionum p. 150. docet: Differentias específicas desumendas esse à modo representandi universum, qui in infinitum variare potest. Itane DEUS diverso ideisandi modo à creaturis tantum differt? Sum persuasissimus Cl. Dn. Autorem, si rectiori secum via hæc reputaverit, sponte sua mutaturum. Ne quidem Gentiles hoc concedent sola ratione nixi.

§. XII.

§. XII. Enimvero facile videmus, quid Philosophi Wolffiani nobis opposituri sint? Quod ad Spiritum in genere attinet opponent forte: Longe aliam in Metaph. §. 896. Cl. Autorem habere de Spiritu ut sic Definitionem, quæ talis est: **Wir nennen insgemein einen Geist ein Wesen / das Verstand und einen freyen Willen hat.** Respondemus & nos hanc quoque cognovisse, quam tamen ut Cl. Autor se aliquali modo à malis consequentiis liberaret poni necesse fuit, id quod novo exemplo probo. Definitionem quam examinavimus de DEO talem Auctor judicat, ut aliam ex qua attributa DEI melius deduci possint agnoscat nullam. Conf. Verba ejus in §. 7. hujus Cap. ex ipso à nobis adducta, & veritas in aprico erit. Qværo, cur eam non retinuerit solam? Aliam enim habet in Metaph. §. 945. Sed vix ac ne vix quidem meliorem, & quod primum hic in re est, non ex hac sed superiori deduxit attributa DEI. Cur hanc non suo systemati accommodavit? Latet anguis in herba, quod videbunt, qui Systema totum Ejus inspicient. Similis est ratio circa Definitionem de Spiritu in genere. Cur Animam & DEUM non descripsit juxta hanc ultimam quam adduxi? Sed manum de tabula.

§. XIII. Hæc sunt, B. L., quæ in præsentis Disputatione observare volui, non quæ potui, quippe ob multas Consequentias rejicienda, fuisset Definitio. Mihi placuit ex eo tantum illam repellere, quod non exhibet conceptum DEI primum, quem juxta Autorem exhibere debet. Nihil proinde dixi: An hæc Definitio Spiritus & DEI sit eadem cum Cartesianorum & Spinosæ Definitione, nec ne? num sit Stoica nec ne? num libertati DEI contrarietur, nec ne? quorum tamen Autor accusatur. Ecce non fecerim, rationes mihi constant. Aliæ, quas DEO dante adversus Systema Ejus editurus sum Disquisitiones penitus forte in dogmata hæc inquirent paululum magis avidum Lectorem satiatura: Hunc interea temporis primum foetum Amatores ejus, quorum pars magna viget, rimentur. Vale.

COROL-

COROLLARIA.

1. Operationes quædam Spirituum sensibiles sunt, non autem spiritus ipsi.
2. Spiritus in Ubi est, non in loco.
3. Spiritus est cum tempore, non in tempore.
4. Diabolus non potest homines mutare in bestias irracionales.
5. Idealistas, Pluralistas, Egoistas, Materialistas, Monistas, Dualistas Philosophorum omnium miserrimos judicamus.
6. Habitus non a possessione, sed adjacentia est.
7. Quando diffundit se in æternum.
8. Atque non sunt sapientissimi dicendi.

SIT SOLI SUMMO GLORIA
SUMMA DEO.



Rostock, Diss., 1724 / 27



St.





Inches

Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

DISPUTATIO PHILOSOPHICA,
DEDEFINITIONE DEI
WOLFFIANA,

quæ talis est

19

17244

1

1006

SOEE ist das Wesen, welches alle
Welten auf einmahl in der allergrösten
Deutlichkeit vorstellet.

Conf. Metaph. §. 1069.

Quam

Consentiente Ampliff. Facult. Philos.

PRÆSIDE

M. JOH. BENJAM.
DRAGHEIM,

DANTISCANO,

In Illustri Academia Varno-Baltica


publico examini exponit

RESPONDENS

JOH. HINR. TWIETMEYER,

Rostochienfis,

Ad Diem IX. August. An. MDCCXXIV.



ROSTOCHII,

Typis IO. IAC. ADLERI, SEREN. PRINC. & ACAD.

Typograph.

